



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ  
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum  
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &  
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,  
plura, ad Gubernium ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1709**

Sententiæ declaratoriæ suspensionis contentæ in c. Cum inhibito §. fin. de  
clandestin. de sponsat. Form. V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

statim, Judex appellationem reiiciat, & elapso termino in citatione præfixo, allegata ejus contumacia, ad declaratoriam procedat. Quod si processus defensivus fiat, & adhuc excessus exactiois excusari non possit, item erit ad declaratoriam prosequendum, nulla attentata appellatione: si autem exceptiones deductæ sint in facto, & in jure relevantes, vel saltem dubiis obnoxia, tunc erit in declaratoria superfedendum, donec probationes coadjuventur, vel reus absolvatur.

15 *Donec de duplo, &c. plenè satisfaciat.* Hæc clausula ponitur in formula ad demonstrandum, quod hæc censura est reservata, & ab Ordinario relaxari non potest, nisi sequatur restitutio: qua facta cum duplo, cessat absque alia absolutione, ut notat Passerin. in d. c. exigit. 20. de cens. in 6.

16 Hucusque dicta, & notata quoad excessum exactiois procurationis, procedunt non solum contra Vicarium Capituli: sed etiam contra Archiepiscopos, Episcopos, & alios omnes Visitatores, qui si in exigenda procuratione, ea, quæ supra de Vicario Capitulari dicta sunt committant, & exactiois excessu cum duplo ultra mensum restituere differant Archiepiscopi, & Episcopi interdictum ab ingressu Ecclesiæ, inferiores verò pœnam suspensionis ab officio, & beneficio ipso jure in-

currunt, ut tam in Concilio Trid. quam in supra relatis juribus cavetur expressè: quod est valdè notandum, nam si Episcopi ita interdicti, & inferiores suspensi, durante interdicto, & respectivè suspensione interim celebrarent, fierent irregulares, nec dispensari possent, nisi à Sede Apostolica, ut notat Passerin. *mox citatus in d. c. exigit n. 22. de cens. in 6.*

*De suspensione contenta in c. cum inhibitio §. fin. de clandest. desponsat.*

Saluberrimum Concilii Trid. Decretum in c. 1. sess. 24. de refor. matrim. hominum malitia effugere, & eludere cupiens, plures reperit vias, per quas incedens sese peccatis, & penis illaqueat, & in profundum malorum mergitur: Quare sæpe, non solum ut contrahat matrimonium contra præcepta Ecclesiæ Parochum vi, dolore inducit, ut assistat: sed quod plus est, aliquando, & ipse Parochus, qui tenetur matrimonia clandestina prohibere, prece, vel amore Consanguineorum corruptus, sponte malo viam sternit, & illis præsentiam præstat. Idcirco cum casus iste eveniat, Ordinarius Parochum punire non omittat, & quatenus infligenda sit pœna statuta in hoc textu, præcedere debet declaratoria modo sequenti.

#### Sententiæ Declaratoriæ.

#### F O R M U L A V.

**H** Abita relatione nostri Proc. Fiscalis, in Terra N. nostræ Diæcesis contractum fuisse matrimonium *clandestine absque Denunciationibus* inter N. & N. receptisque depositionibus testium, ex quibus constat, quod Parochus Ecclesiæ N. qui illud prohibere debuerat, spontè *præsentiam præstare*, eique interesse præsumpsit, *absque necessitate*: ideo, eo prius monito ad dicendum causam quare non deberet ab officio suspendi, & nihil, quod relevet deducto, in executionem statutorum Sac. Canonum, ipsum Parochum N. *per triennium ab officio suspendimus*, & prò suspensio haberi volumus, & declaramus, & ad Valvas Ecclesiæ Parochialis denunciari mandamus, omni &c.

N. Episcopus ( sive Vic. Gen. ) N.

N. Actuarius.

SUM.

## SUMMARIUM.

- 1 Matrimonium contractum absque denunciationibus, est validum, sed est clandestinum tertie speciei.
- 2 Parochus, & contrahentes Matrimonium sine denunciationibus culpabiliter, puniuntur arbitrio Ordinarii; sicut & testes, qui cum dolo presentiam prestant, & num. 3. & 4.
- 5 Milites, qui sunt in expeditione, vel statione, si volunt matrimonium contrahere, tenentur servare dispositionem Concilii Tridentini, & asferuntur Decreta Sac. Congr. Concilii.
- 6 Parochus potest, imò debet se opponere, & resistere Matrimonii clandestinis, fugam tentando, & aures claudendo.
- 7 Presentia Parochi in matrimonio contrahendo, est triplex, & late examinatur conclusio, ad dignoscendam validitatem Matrimonii, & n. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.
- 14 Parochus, aliqua causa urgente concurrente, potest omittere denunciations, & quanam sint iustae causae, indicatur.
- 15 Datur formula monitionis faciendae contra Parochum omittentem denunciations.
- 16 Parochus, nisi proponat excusationes relevantes, non potest à censura suspensionis contra se late appellare.
- 17 Denunciations Matrimonii non presumuntur factae, sed ab allegante probandae sunt.
- 18 Censura suspensionis comminata contra Parochum in cap. cum inhibito §. fin. de clandest. desp. non est lata, sed ferendae sententiae.
- 19 At postquam erit promulgata, Ordinarius Parochum absolvere nequit.
- 20 Parochus, quandò est certum, nullum adesse inter contrahentes impedimentum, si omittat unam denunciationem (vel aliqua alia ra-

Monacelli Form. Pars III.

tionabilis causa urgens concurrat) mitius punitur.

- 21 Parochus si assistat Matrimonio contra prohibitionem Episcopi, poena arbitraria punitur.
- 22 Parochus, nisi denunciatur publicè suspensus, Parochiani possunt petere, & ipse administrare Sacramenta absque incurso irregularitatis.
- 23 Ordinarius unius ex contrahentibus Matrimonium, dispensat cum utroque in denunciationibus.

## ADNOTATIONES.

**C**LANDESTINE ABSQUE DENUNCIATIONIBUS. Matrimonium contractum absque Denunciationibus, licet sit validum, etiamsi Ordinarius recuset dare licentiam, quod fiant post, Barb. decis. Apostolic. collect. 247. num. 1. & est communis opinio: dicitur tamen clandestinum tertie speciei, ut dixi in part. 2. tit. 16. ad form. 2. num. 27. quia Parochus sine expressa facultate Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, illas praeterire, & remittere non potest: imò eas culpabiliter omittendo, tam ipse, quam contrahentes graviter, & mortaliter peccant, & Matrimonium subjacet poenis clandestinitatis, aded ut non solum poena suspensionis, sed aliis arbitrio Episcopi, Parochus puniri possit, Barbof. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 2. Sanch. de matr. lib. 3. disput. 5. num. 6. Pac. Jord. elucidr. tom. 1. lib. 3. tit. 7. num. 23. & 24. Biff. hierurg. lit. D. num. 90. §. 25. Contrahentes vero ab eodem Ordinario puniuntur, ut habetur in d. c. cum inhibito §. fin. Pac. Jord. loc. cit. num. 27. Sac. Congr. Concilii in Boven. 28. Januarii 1690. qua declaratione decisum fuit, quod Episcopus contra eos, qui Parochum dolose compulsam adesse curarent, & matrimonium sine denunciationibus contrahere praesumerent, potuisset in Synodo in subsidium poenae pecuniariae (si ista esset inexibilis) imponere etiam poenam excommunicationis juxta quintum Decretum Concilii Provincialis Mediolanen. quod admittit etiam Card. de Luc. de matr. disc. 2. num. 7.

N

num. 7.

num. 7. *vers. opponeretur*, Pignatell. *consult. 147. num. 17.* ubi de pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ *tom. 4. cæterum. contrahentibus in gradu aliis permisso, & licito, omiſſis tantùm denunciationibus, imponenda est alia pœnitentia glos. in cap. cum inbibito §. fin. de cland. desp. Pirhing. in jus can. lib. 4. tit. 3. n. 40. & 43.* testes autem si sint in dolo, qui præsentiam præstant matrimonio clandestino, & contracto contra præceptum Ecclesiæ, quia peccant mortaliter, arbitrio ipsius Ordinarii puniri debent, Pignatell. *cod. loco n. 18. Sacr. Congr. Concilii, quam retuli part. 2. tit. 16. ad form. 2. num. 29.*

Et hæc, quæ de clandestinitate dicuntur, procedunt etiam in matrimoniis, quæ contrahuntur à militibus exercitus, qui sunt in expeditione, vel statione, hi etenim in locis, ubi Concilium publicatum fuit, tenentur illius dispositionem servare, nisi indultum habeant Apostolicum, sic censuit S. Congr. Concilii, nam dubiis remiſſis à S. Congr. S. Officii, in quibus proponebatur.

Primò. An Cappellani cujusvis exercitus, sive Regulares, sive Sæculares Catholici, possint administrare militibus in Præfidiis degentibus Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ per modum viatici, & extremæ unctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, vel licentia, & approbatione Ordinarii in cujus Diœcesi extare contigerit?

Secundò. An assistere matrimoniis militum cujuscunque stationis degentium in Præfidiis cum Militaribus feminis, sine dicta facultate Apostolica, & præcedenti probatione status liberi, ejusque recognitione cor. Ordinario loci, & licentia Parochi sub cujus Parochia maneant?

Tertiò. An idem cum Militibus degentibus in Castris, & Stationibus hybernis, vel æstivis?

Quartò. An idem cum Militibus in actuali expeditione positis?

Quintò. An idem cum Militibus nubere volentibus cum sceminis non militaribus, sed Italis originariis loci, sive Diœcesis in qua reperiuntur.

Sextò. An Milites Aatholici cum Aatholicis contrahentes teneantur, ser-

vare formam præscriptam à Sac. Concil. Trid.

Septimò. An eo magis Aatholici contrahentes cum Catholicis Mulieribus militaribus, & non militaribus in Præfidiis, Castris, & expeditione manentes?

Octavò. An Cappellani Aatholici assistere possint matrimoniis Aatholicorum cum Aatholicis; & respectivè Catholicis, etiam intrà fines Italiæ? Et quatenus negativè in omnibus præter sextum, & septimum.

Nonò. An & quod pro sanatione gestorum in præteritum, & faciendorum in futurum super prædictis omnibus pro certa regula Sanctissimo consulendum, & statuendum sit?

Sacr. Congr. die 6. Martii 1694. respondit.

Ad primum. *Negativè.*

Ad secundum. *Negativè confirmat. in Casalen. 28. Junii 1704.*

Ad tertium. *Negativè.*

Ad quartum. *Negativè.*

Ad quintum. *Negativè.*

Ad sextum. *Affirmativè*, ubi publicatum fuit Concilium juxtà Decretum Sac. Congr. 26. Septembr. 1602.

Ad septimum. *Affirmativè*. Et ulterius indigere dispensatione, ut matrimonia licitè fiant.

Ad octavum. *Ut ad 6.*

Ad nonum. Quoad præteritum circa Sacramentum pœnitentiæ non esse inquietandas conscientias: & circa matrimonia pro sanatione cum Sanctissimo renovato consensu etiam coram Confessario, qui teneatur tradere testimonium renovationis consensuum Parocho illius loci ubi sequuta est talis renovatio consensus.

Propterea debent locorum Ordinarii, in quorum Diœcesibus hujusmodi milites stationes habent, & demorantur, edicto publico eos, & eorum Cappellanos, nec non parochos, & subditos monere, nè prædicta matrimonia attententur absque ipsorum Ordinariorum expressa licentia, sub penis, nullitatis, illegitimitatis proli, & excommunicationis ipso facto incurrendis, aliisque eorum arbitrio irrogandis.

*Qui illud prohibere debuerat: Paro-6 chus*

chus quantum in se est, positivè resistere debet clandestinis matrimoniis, prout sancitum fuit in Concilio Lateranensi sub *Innoc. III.* celebrato, ac relato in *cap. cum inhibito*, ideòque ad evitandam suspensionis poenam, & peccatum lethale, omnem tenetur adhibere diligentiam, nè matrimonia clandestina sequantur, nec illis assistat, proptereaque in casibus inopinatis, deficientibus aliis mediis prohibendi, vel resistendi, potest, & debet tentare fugam, oculos claudere, & aures obturare, quia ità faciendò, non solum malum non facit, sed præmium meretur, & laudem, ut luculenter doctèque demonstrant *D. Advocatus Ursaya* in sua elaborata Dissertat. de *matrim. nullit. typis edit in Urbe an. 1696.* apud Buagnum *dub. 2.* & alii duo celebres Theologi in eorum responsis impressis post eundem.

7. *Præsentiam præstare.* Præsentia triplex assignatur, alia physica, alia localis, alia moralis, Hic juxta casum figuratum in formula, ut Parochus mereatur poenam, debet esse præsentia voluntaria moralis, prout requiritur in matrimonio de necessitate, cum intelligentia rei, quæ agitur, non autem solum physica, tum quia præsentè aliquo non dicitur fieri, id, quod ab eo non intelligitur juxta *text. in l. coram Titio ff. de verb. signif. Barb. dict. 71. n. 2.* *Donat. prax. ver. regular. tom. 3. tract. 7. quæst. 107. num. 2.* tum quia dum non intelligit, & non advertit non potest Ecclesiam certam reddere de contractu matrimonii, *Ursaya d. disert. de matrim. nullit. §. 11. n. 9.* *Lodiger. post eum ad tertium dub. num. 5.* & *seqq.* ubi innumeri allegantur concordantes. Et ratio est, quia Parochus non adhibetur, neque præsentiam præstat, uti minister Sacramenti, sed tanquam testis magnæ auctoritatis, de quo Ecclesia confidit, ut inquit *Fagn. in cap. quod nobis n. 54. de clandest. de spons. & in c. litteræ n. 23. de matr. contract. contr. interd. Eccles. Piafec. in prax. par. 2. cap. 4. art. 4. n. 18.* Et sic ubi Parochus fuit præsentis, sed non audivit verba, nec alio modo intellexit expressionem consensus utriusque contrahentis, matrimonium non esset validum, nec diceretur contractum co-

ram Parocho, nec ipsum præsentiam præstasse, *Barb. de offic. Paroch. cap. 21. num. 49. de potest. Episc. alleg. 32. num. 78. supra Concil. dict. cap. 1. de refor. matrim. num. 72.* *Ciarlin. contr. 131. num. 29.* *Cappon. discept. for. 277. num. 16.* *Panimoll. decis. 19. adnot. 1. num. 7.* *Pignatell. consult. 62. num. 2. tom. 7.* *Ricc. prax. for. Eccles. tom. 3. resol. 431. n. 3.* & alii in magno numero cumulati ab *Ursaya*, & à *dd. Theologis d. loco citatis supra 2. dubium.*

Et hoc procedit, etiamsi ipse Parochus affectaret, & data opera v. g. claudendo oculos, vel aures personas contrahentium non videret, & verba mutui consensus non audiret, *Guillem. Herinex. theol. moral. tract. 5. de sponsal. num. 23.* *Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 39. n. 6.* *Gobat. tract. 9. de absent. Paroch. dirim. matrim. cas. 18. sect. 1. n. 491.* *Pac. Jord. elucubr. tom. 1. lib. 3. tit. 7. num. 99.* & *100.* *Biff. hierurg. lit. P. verb. Parochus circa matrim. num. 37. §. 71. & 73.* *Ursaya loco citato §. 13. per tot.* *Lodiger. & Liber. à Jesu post eum ad 3. & 4. dubium.*

Et ratio viva est; quia dum verè non audit, nec intelligit, testis esse non potest, & tamen ad hoc ut matrimonium dicatur contractum coram Parocho, debet ipse (cui in hoc plenè creditur *Rot. cor. Cerro dec. 761. num. 13.*) testari de voluntate actuali contrahentium perfecta, non autem de inchoata, & virtuali, quia aliàs matrimonium contractum fuisse, deduci non potest, ex complexu conjecturarum antecedentium, concomitantium, & subsequentium, cum Decretum Concilii, quod præcisè dat formam contrahendi, non possit per æquipollens adimpleri, ut firmat *Rot. coram Duno. sen. dec. 308. per tot.* *Pirhing. in jus can. lib. 4. tit. 3. n. 7. vers. denique*, & alii plures ab *Ursaya*, & præfatis Theologis post eum loco citato cumulati.

Verum est tamen quod si Parochus vi, vel fraude detentus, & ad assistendum vocatus, affectat, & adlaborat, ac fingit non audire, sed verè, & naturaliter audit, & intelligit, ac sensu percipit consensum: tunc matrimonium licet.

licet illicitum, validum est : quia præsentia Parochi intelligentis, & advertentis licet coacta, sufficiens est ad testificandum, ut probat Ursaya loco allegat. §. 16. num. 6. & seqq. & ita intelligenda sunt Decreta, quæ in hoc articulo de Parocho affectante non audire, allegari solent, & advertunt etiam Sanch. de matrim. lib. 3. disput. 39. dist. num. 6. Ricc. prax. rer. for. Eccles. part. 3. resolut. 431. num. 3. & 4. Bonacin. de Sacram. matrim. quæst. 2. punct. 8. num. 20. Pac. Jord. & Biff. in locis mox supra allegatis. Cæterum opinio quæ tenet, quod pro validitate matrimonii sufficiat præsentia Parochi purè physica, seu materialis, fuit jam à plena Congregat. Concilii viginti unius Cardinalium in Romana Dubior. Matrimonii sub die 7. Martii 1700. plenis votis reprobata.

<sup>14</sup> Absque necessitate. Hoc exprimitur in formula ad judicandum, quod in hoc crimine punitur præsumptio, etenim si aliqua justa causa urgeret, posset Parochus absque incurfu pœnarum, sine Denunciationibus matrimonio assistere, v. gr. si timore mortis comminatæ, vel alterius gravissimi damni compelleretur assistere, vel si subessent causæ, ex quibus Episcopus teneretur dispensare, & ipse petitam licentiam nollet concedere, vel illius copia non posset haberi : tantaquæ urgeret necessitas, ut non pateretur dilationem, nam in his circumstantiis lex Ecclesiastica non obligat cum tanto rigore, prout tradunt Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 10. num. 27. & seqq. Pac. Jord. elucidr. tom. 1. lib. 3. tit. 7. numer. 30. 31. & 32. Biff. hirurg. litt. D. num. 90. §. 19. Corrad. prax. disp. lib. 7. cap. 7. num. 26. Guttier. de matrim. cap. 56. num. 7. qui numer. 8. monet, quod si mortis comminatio esset commentitia, fraudolenta, vel simulata, ipseque Parochus fraudis, & simulationis particeps, ut hoc figmento à punitione Ordinarii liberaretur, tunc confitito de hoc, gravius sit puniendus. Quæ autem sint causæ justæ, in quibus Episcopus dispensare tenetur, habentur apud Sanch. de matrim. lib. 3. disput. 9. per tot. & apud me par. 1. tit. 8. ad form. 8. num. 5.

<sup>15</sup> Eo prius monito. Confitito de celebra-

tionem matrimonii sinè denunciationibus absque dispensatione Episcopi, sive ejus Vicarii, citandus erit Parochus.

Ad dicendum causam quare non debeat ab Officio suspendi ob præsentiam, & assistentiam præstitam celebrationi matrimonii in inter N. & N. suos Parochianos absque denunciationibus, in termino peremptorium dierum, alias, &c.

Si Parochus à comminatione censuræ <sup>16</sup> appellet, Ordinarius appellatione non attempta, elapso termino ad declaratoriam procedat, si verò compareat, & excusationes proponat relevantes, erit superferendum dato termino congruo ad illas probandum : quo elapso, & excusationibus non verificatis, ferenda erit sententia suspensionis à qua si Parochus appellet, non debet retardari executio, sed removendus erit ab officio, & appellatio admittenda in devolutivo tantum : quoniam tam text. d. c. cum inhibito, quam Concilium, mandant quod hoc crimen, cognita culpa puniatur, quod si Episcopus non faceret graviter peccaret, ut ex Boss. de matrim. c. 6. §. 22. n. 69. tradit Pignatell. dist. consult. 47. n. 21. in fin. tom. 4. Et est notandum, quod denunciations matrimonii in dubio non præsumuntur factæ, sed ab allegante probandæ sunt, ut tenet Ricc. dec. 152. n. 1. & per tot. par. 3.

<sup>18</sup> Per triennium ab officio suspendimus. Id est à functionibus, seu muneribus Parochi, & ordinis executione, ac exercitio, non autem a beneficio, nisi ab Episcopo pœna aggravetur. Hæc autem censura non est latæ, sed ferendæ sententiæ, & ided in formula ab Ordinario fertur, non autem declaratur incurfa, & quamvis nonnulli DD. quos refert & sequitur Sayr. de censur. lib. 4. cap. 15. num. 8. voluerint, quod sit latæ sententiæ, contraria tamen sententia, quam tenent mox citandi, verior est, quia verba illa textus --- per triennium ab officio suspendatur, sunt futuri optativi, & exigunt, ac respiciunt actum, & ministerium Judicis, prout quando canon dicitur excommunicetur, ita Sanchez de matrim. lib. 3. disput. 48. num. 2. quem sequuntur Barb. in d. c. cum inhibito n. 23. in fin. Bonac. de sac. matrim. q. 2. punct. 8. n. 50. ven. dice.

dico tertio, Pirhing. in jus can. lib. 4. tit. 3. n. 42. Pignatell. consult. 147. n. 19. tom. 4.

19 Ab hac tamen censura, postquam erit promulgata, non poterit Ordinarius Parochum absolvere, quia illum non imponit jure suo ordinario, sed tanquam Executor Concilii Lateranensis, quod cum tempus durationis præfiniverit, non potest inferior illam relaxare, ut de veriori docent Sanchez. de matrim. d. lib. 3. disp. 52. n. 3. Pirhing. loco citato n. 44. Pignatell. d. n. 19. Sayr. de censur. lib. 4. d. cap. 15. d. num. 8. in fin. Guttier. de matrim. cap. 75. n. 23. & 24. Biff. hierurg. lit. D n. 90. §. 27. & alii ab eis allegati.

20 Si autem Parochus ex aliqua justa causa unam tantum denunciationem omitteret in casu, quo moraliter certum esset, nullum inter contrahentes subesse impedimentum, tunc mitius cum eo agendum erit, quia in tali casu non adest præsumptio, nec contemptus, nec eum peccare saltem mortaliter putat Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 5. n. 7. Et cum suspensio jure afflictæ, non nisi ob peccatum mortale incurratur, ut ait Sayr. de censur. lib. 4. c. 1. num. 20. ideoque ab ista suspensione trienniali esset excusandus, non tamen sine aliqua alia pena mitiori arbitraria dimittendus; nisi causa omissionis esset valde rationabilis, &urgens, quia ut advertit

21 Pac. Jord. elucubr. tom. 1. lib. 3. tit. 7. n. 39. ob istam omissionem tertie denunciationis possunt evenire gravia damna. Quando autem Parochus assistit matrimonio contra prohibitionem Episcopi, qui ad indagandum de aliquo impedimento dirimente, vel ad sedandas inimicitias, ad tempus mandat differri, etiam tunc (quia peccat graviter non parendo) pena arbi-

traria punitur, ut ait Biff. hierurg. lit. 41. num. 1. §. 1.

Et ad valvas Ecclesiæ Parochialis denunciari mandamus. Hoc dicitur in formula ad ostendendum, quod hæc Suspensionis sententia, debet affigi, & publicari ad Valvas Ecclesiæ Parochialis, ad hoc ut innotescat Parochianis, ne amplius durante suspensione, nec petant, nec recipiant a Parocho suspenso Sacramenta, quia si Parochus suspenso nominatim, & publice non denunciaretur, licite possent petere, & ipse absque incurfu in irregularitatem ea conferre, ut tradit Sayr. de censur. lib. 4. cap. 11. num. 3.

Et nota etiam, quod ea, quæ dicta sunt de Parocho sæculari, militanti, & æquè benè applicantur Parocho Regulari, qui in exercitio, & administratione Curæ plenarie subjiicitur Ordinario, ut alibi ostensum fuit, & quod in dispensatione denunciationum, si contrahentes sint diversarum Diæcesum, Ordinarius unius ex eis, potest eum utroque dispensare, ut docet Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 7. n. 7. ex rationibus, quas adducit eod. lib. disp. 9. n. 4. Gavant. in manual. verb. matrimonii denunciations num. 20.

De Suspensione ferenda contenta in cap. Episcopus 35. dist.

Ludus alearum, sive chartarum, plurimum malorum sentina, ut à Clero arceatur, Ordinarii pro posse curare debent, Clerici autem, & præsertim hi, qui in sacris ordinati sunt, si moniti à tali ludo nolunt abstinere, & obedire detrectant, eos à Divinis suspendere aliquando expediens, & utile erit, sequenti forma,